



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli**

**Viegas, Brás**

**Parisiis, 1615**

Virginem beatissimam esse signum magnum, id est, miraculum magnum.  
Sectio Prima.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39261**

Ioann. ex professo Virginem beatissimam non tantum adumbrare, sed ad viuum exprimere voluisse. Illud interim cum omnibus Patribus nobis præfandum est, nihil in laudem Virginis non dico à nobis, qui nihil sumus, sed ne ab omnibus quidem scriptoribus pro eius dignitate afferri posse. Cum enim Deus sit in Sanctis omnibus suis admirabilis; in Virgine tamen beatissima sic omnem admirationem superauit, vt in tanto opere eum satis mirari non possimus, iustusque multo esset illum silendo, quam loquendo suspicere. Quò etiam videtur spectasse Regius vates, cum dixit Psal. 64. *Te decet Hymnus Deus in Sion:* Psal. 64. 1. D. Hieron. pro quo transtulit D. Hieron. iuxta veritatem Hebraicam: *Tibi silentium laus Deus in Sion.* Cur enim in Sion potius, quam alibi silentium laus Dei est, nisi quia Virgo beatissima Sion est multo, quam terrestris illa præstantior, in cuius fabrica admirabili si Deum eius opificem laudare quis experat, silentium pro laude adhibendum sit? Quare que in eius laudem deinceps cum Ioanne dixerimus, silentij potius loco, quam commendationis vilius haberi, ac duci volumus. Hanc igitur nostram in tractandis Virginis laudibus infantiam ingenuè confitentes aggrediamur iam cum Moysè Exodi 3. ad videndam visionem hanc magnam: simulque deponamus calceamenta de pedibus, & inuolucra carnalium cogitationum: quemadmodum in eandem sententiam interpretatur D. Bern. serm. super *signum magnum*, vt videlicet nihil in Virgine terrenum, nihil humile, sed omnia planè diuina, ac sublimia de Dei matre, & cogitatione comprehendenda, & oratione explicanda esse arbitremur. Exod. 3. D. Bernard.

## COMMENTARIUM PRIMUM EXEGETICUM.

*De sanctissima Deipara: in quo explicatur, quomodo ea sit signum magnum: & cur in caelo dicatur apparuisse.*

Virginem beatissimam esse signum magnum, id est, miraculum magnum.

### SECTIO PRIMA.

**R**ECOLENDA est ex superiori commentario triplex illa signi vsurpatio pro miraculo, pro vexillo, pro scopo, quæ omnia cum in Virgine demonstranda sint, nunc de prima acceptione differendum. B. Virgo miraculum maximum.  
Primum igitur Virgo ipsa per se maximum quoddam in mundo miraculum, & prodigium fuit. Sic enim appellat D. Ignatius epist. D. Ignatius. ad Ioannem his verbis: *sicut nobis a fide dignis narratur, in Maria matre Iesu humane nature sanctitatis Angelica copulatur, & hac talia excitauerunt viscera nostra, & cogunt*  
M m ij

valde desiderare aspectum huius, si fas est fieri, cœlestis prodigij, & sacratissimi spectaculi: cui cōcinit D. Epiphanius. serm. de laudibus Deiparæ, ubi eam appellat cœli, terræque mysteriū & stupendū miraculum: & D. Chryl. serm. de Virgine: *Magnum*, inquit, reuera miraculū fratres dilectissimi fuit beatae sepe virgo Maria. Et D. Ioān. Damasc. orat. i. de Mariæ natiuitate appellat Virginem miraculū omnium miraculorum maximè nouum, imò & miraculorū abyssum, ita vt in ea tanquā in abyssō quadam profundissima multa lateant miracula, quæ vt in abyssō recondita omnino penetrari nequeant: additque: *Sileat iam sapientissimus Salomon, nec iam nihil sub Solenouum esse affirmet.* Eccles. i. Et quidem merito, cum Hieremias exclamet cap. 31. *Creauit Dominus nouum super terram: sœmina circumdabit virum.* Nec verò Patres dumtaxat Virginem miraculū appellant: sed idem etiam non obscure innuunt sacræ literæ, veluti Exod. 3. cum rubus ille ardeat in figurā Virginis magna visio appellata est à Moyse, hoc est, prodigiosa quædam visio. Aduerte autem Virginem fuisse miraculum non solum cōparatione operum naturæ: sed quodd magis est, cōparatione operum gratiæ. Pro cuius rei maiori intelligentia annotandum est ex D. Thom. i. p. q. 105. art. 7. miraculum dici ab admiratione, eamque cōsurgere, cum effectus est manifestus occulta causa: verum non quicquid, cuius causa latet, miraculum esse, sed illud tantum quod totius naturæ vires excedit: quæ enim causas habent naturales, etsi incognitas, non miracula, sed mirabilia appellantur. Illud aduertendum requiri præterea ad rationem miraculi, vt non fiat à Deo ordinariè, & communi lege: itaque nō sufficere effectum esse supernaturalem. Hinc enim est, quod peccatoris iustificatio non dicatur miraculum, etsi omnes naturæ vires superat.

Ex his iam manifestè collige, cur Virgo inter omnes Sæctos miraculi appellatio- nem mereatur: quamuis enim communis sanctitas cursum naturæ superet: quia tamen innumerabiles in Ecclesia Sancti omni ætate floruerunt, nō potuit eorum sanctitas rationem habere miraculi. At quoniam sanctitas Virginis, præterquam quodd fuit supra naturam, fuit etiam extraordinaria: imò sine exemplo: inde est, quodd miraculū, & prodigium optimo iure appellari possit. Itaque sicut datur miraculum cōparatione operū naturæ, quia excedit omnem ordinem naturæ: ita Virgo cōparatione operum gratiæ miraculū fuit, quia in genere sanctitatis fuit supra communem ordinem gratiæ non tantum in hominibus, sed in ipsis etiā Seraphim supereminet. Inde est enim, quodd Virgine cœlum ingressa eius magnitudine, & nouitate quasi ad quoddam miraculum omnes illæ cœlestes Hierarchiæ in admirationem, & stuporem conuersæ fuerint, quemadmodum ipsæmet consistuntur legem gratiæ circumfluens. Quo loco est aduertendum nomen *deliciarum* hoc ipsum nō obscure indicare: quati enim gratiarum omnium delicias extraordinario more Deus in Virgine collocauit. Vt enim Principes præter cōmunem hortorum nitorem soler vitidaria pulcherima regali planè magnificentiā: & extraordinarijs sumptibus ad sui ipsorum delicias peregrinis plantis conferere: ita videtur Deus præter communes Sæctorum hortos topiarum istud Virginis ad captandā æram delicijs omnibus, & extraordinarijs quibusdam plantis conferuisse. Eundem Angelorum stuporem propter portentosam Virginis magnitudinem intueri licet in illis Cherubim, quos præcepit Deus Moyli, vt in propitiatorio collocaret, qui sese mutuo respiciebant conuersis vultibus in propitiatorium, qui esse solet admiratiuum habitus: quasi enim stupefacti propitiatorio conspecto ad se iterum admirabundi oculos conuertebant. Nemo verò crediderit Cherubim in materialis illius propitiatorij obstupuisse cōspectum, nisi propter mysteriū, quippe etsi intellige-

rent in eo, & Christum, & Virginem representari, Porro sciendum illos Cherubim ex traditione Hebræorum habuisse elegantium puerorum formam, vnamque; ex iis mare, alterum feminam fuisse, ut auctor est Arias Mōt. in suo tract. de tabernaculo, & de propitiatorio, ut ita Deus auctor naturæ monstraretur: quo fit, ut Virginem, & naturam, & gratiam admirantur tanquam gradum quoddam, & naturam, & gratiam miraculū.

At quoniam ista miracula fuerunt: Respondet Epiph. ser. de laud. Deiparæ: *O Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stupore deduxisti: stupendum enim est miraculū in cælis mulier amicta sole: stupendum miraculū in cælis mulier gestans lucem in vultu: stupendum miraculū in cælis alter thron. Cherub.* Adde: stupendum miraculū in terris femina mater Dei: stupendum miraculū in terris femina mater simul, & virgo: stupendum miraculū in terris femina maior mundo, quæ videlicet in utero clauit, quem totus non capit orbis: & ex D. Basilio in annunciatione Mariæ: *Vidit Creatura, quod antea visum est nusquam, ne prole, quæ suam matrem erat parens, & infantem, qui genitricem et a se longe anteibat.*

Nec verò dūtaxat Virgo miraculosa est, sed ut D. Io. Damasc. eleganter dixit orat. r. de Natiuit. Mariæ, miraculorū officina. Eundem loquendi modum viurpauit And. Hierosol. serm. in salutationem Deiparæ, cū eam Verbi officinam appellauit: & Arnold. Carnotens. tract. de laudib. Mariæ, Spiritus sancti officinam. Sed elegantius Damasc. officinam miraculorū: nimirum summus ille miraculorū opifex Deus, cum sparsim multis in locis miracula tanquam propria potestatis suæ opera cōficeret, tādē ut arte sua magis cōmenderet, sacratissimam Virginem veluti quandam miraculorum officinam decreuit extruere, ex qua tanquam ex officina omnia miracula prodiret: & qui miraculū aliquod eximium requireret, ad hanc accurreret officinam Virginis, vbi ea & plura, & maiora efficeretur. Atque ut interim omittā innumera miracula, quæ quotidie intercessionem Virginis fieri cernimus, quis non videat optimo iure Virginem miraculorū officinam appellari posse propter mysteriū incarnationis in ea perfectū, quæ ab Esai. c. 10. consummatio, & abbreviatio dicitur, videlicet omnium diuinorum operū: Enimvero cū incarnatione admiranda quædam prodigia coniuncta sunt, ex quibus Dionys. Carth. lib. 1. de laudib. Virginis, art. 30. nonnulla commemorat, cuiusmodi illa sunt, infinitè distantia immediata vnio, præsubstantentis personæ vera generatio, diuinæ, & humanæ naturæ hypostatica coniunctio, æterni recens pro ductio, denique cū humanitas sit vnita verbo personaliter, tamen non vbi eūque; est persona Verbi, vbi & humanitas esse: sed ut vno verbo cōplectamur omnia, maximū omnium prodigium est ipsa Verbi incarnatio ex Virgine, quod vel simpliciter dictum tantum est miraculū, ut omnium miraculorū instar obtineat, quemadmodum non obscure indicat Esai. c. 7. vbi cū de mādato Domini diceret Achaz Regi Iuda, ut peteret sibi signū à Domino siue in profundum inferni, siue in excelsum supra: & ille per sumam impietatem illis verbis occultatā: *Non petam, & non tentabo Dominum, reuolaret, subiunxit Propheta: Propter hoc dabit vobis ipse Dominus signum, Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel,* quod interpretatur, *nobiscum Deus.* Quibus verbis indicauit incarnationem verbi ex Virgine comprehendit in se omnia miracula, quæ siue in cælo sursum, siue in inferno deorsum ab Achaz pro libito postulari potuissent: de quo loco fusius Sect. sequenti.

Quodnam verò maius miraculū, quā illud, quod tempore Ezechia Regis contigit, cum in horologio Achaz patris eius Sol decem lineis regressus diuinam de Ezechia vita proroganda promissionem cōfirmavit, 4. Reg. 20. & Esai. 38. quod sanè miraculū multo vetius factum est in Virgine. Illa enim fuit horologiū quoddam solare, ac diuinum, quod Christi solis iustitiæ, & altitudinē, & declinationem monstrauit: eamque virtus altissimi instar styli erecti ad cursum Solis monstrandū

Arias Ment.  
B. Virginem  
Et natura  
admiratur,  
Et gratia.  
III.

D. Epiphani.  
B. Virgo su-  
pendum mi-  
raculū in  
cælis, & in  
terris.  
D. Basili.

III.  
D. Io. Dam.  
Officina mi-  
raculorum.  
Andr. Hiero.  
Arnol. Carn.

Esai. 10.  
Incarnatio-  
nis mysteriū  
consummatio  
operum Dei.  
Carthof.

Idem myste-  
rium instar  
omnium mi-  
raculorum.  
Esai. 7. 12. 14

V.  
4. Reg. 20.  
Esai. 38.  
B. Virgo ho-  
rologiū sola-  
re, ac diuinū

obumbravit. Denique sol iustitiæ decem lineis regressus Diuinas de generis hu-  
mani salute, & redemptione promissiones impleuit. Decem, inquam, lineis re-  
gressus, quia minoratus paulò minus ab Angelis per nouem Angelorum ordines  
descendens in decimam vsque humanæ naturæ lineam remeauit. De Christo enim  
hanz horologij figuram accipit Eucher. lib. suo 4. in lib. Reg. c. 28. quanquam ali-  
ter decem lineas interpretatur, quas non est huius loci commemorare. Accedit,  
quod in Virgine, & ex Virgine formatus fuit Christus Dominus qui summum  
quoddam per se prodigium fuit, vt vel hac vna ratione Virgo officina miraculo-  
rum dicenda sit. Quodd enim Christus summum quoddam prodigium, & miracu-  
lum fuerit, ipsemet confitetur Psal. 70. *Tanquã prodigiũ factus sum multis.* Cuius loci  
triplex est lectio: vna est, *Prodigiũ factus sum multis*, vt vulgatus transtulit, redditur-  
que is sensus: Multi me refugiunt tanquã monstrũ aliquod, & tẽ prodigiosam: vn-  
de & me Samaritanũ, & Dæmoniũ habentẽ vocant. Quã expositionem sequitur  
D. Hier. illique concinit, quod sequitur: *sed tu adinor fortis.* Atque id quidẽ magis  
conuenit Christo in passione, & cruce: maximũ enim prodigiũ fuit videre homi-  
nem tam extraordinariẽ patientem, tanta animi æquabilitate, vt instar monstri, &  
prodigiosæ rei fuerit tam insignis patientia. Altera lectio est: *Tanquã portentũ factus  
sum multis*: sic enim transtulit D. Hier. in sua versione ex Hebræo. Tunc verò signifi-  
catur Christũ fuisse in signe exemplũ Diuinorũ iudiciorũ, & iræ aduersus pecca-  
tores: siquidẽ eo quodd humani generis peccata in seiplo suscepit vindicanda, tanta  
in eum Diuino iudicio tormenta irruerunt, itaque suo exẽplo portendit, & si-  
gnificauit incredibilia peccantes apud inferos manere supplicia. Hoc eodem sen-  
tu Dominus cũ præcepisset Esaia, vt nudus, & discalceatus incederet: subiunxit:  
Esaie 20. 3. *Sicut ambulauit seruus meus Esaia nudus, & discalceatus: trium annorum signum, & porten-  
tum erit super Ægyptum, & super Æthiopiã.* Esaia 20. Similiterque Ezech. ca. 12. ad  
captiuitatẽ, & transmigratiõẽ populi designandũ voluit instar transmigrãtis sar-  
cinas humeris portare, & de loco in locum per medium populi veluti peregrinũ  
huc, & illuc discurrere: & subiunxit: *Quia portentum dedi te domui Israel:* imo implet  
sancti dum à Deo in hac vita laboribus exercentur, portenta quædam sunt, quæ  
mortalibus significant sempiternam fœlicitatem laboribus comparandam, & in-  
ferorum cruciatus penitentia, & laboribus redimendos. Sic enim accipiendum  
est illud Zach. 3. *Audi Iesu sacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant coram te, quia vi-  
ri portendentes sunt.* Tertia lectio, quæ iam ad rem facit, ea est: *Miraculum factus sum  
multis*: eamque tradit Caiet. in sua ex Hebræo translatione, quanquam de Dauide  
interpretatur, qui dicitur fuisse miraculũ sui tẽporis, quoniã adhuc puer vrsum,  
& leonem, imo & Gigantem interfecit: sed rectius ad Christum pertinet, qui ma-  
iori iure omnium seculorum miraculorũ fuit. Cũ igitur Christus, qui summũ,  
& maximum, imo solus per excellentiam miraculum fuit, ex Virginis vtero tan-  
quam ex officina prodierit: quis iam dubitet Virginem illustrissimam quandam  
miraculorum officinam appellare, nec videat meritò Ioanni non quodlibet si-  
gnum, sed signũ magnũ in cælo apparuisse? Atque hæc de prima signi acceptione.

Virginem esse signum magnum, hoc est, vexillum magnum.

#### SECTIO II.

Prima signi pro miraculo acceptione explicatã, iam dicendũ de secunda, qua  
signum pro vexillo sumitur, quæ non minus, quàm præcedens in Virginem  
beatissimam conuenit. Primum igitur Virgo fuit vexillum quoddam magnum,  
quod